

www.e-rara.ch

De finibus utriusque potestatis, ecclesiasticae, et laicae commentarius

Liruti, Innocenzo Maria

Lugani, 1779

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 37 Da 2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19061>

Caput IX. Ex legibus Iustiniani imp. minime demonstratur, spectare ad principem, externam ecclesiae disciplinam nove ordinare.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

48. Belli gerendi & imperii administrandi ratio ad solum REGEM pertinebat, ut sacrificiorum, rerumque Sacrarum in Templo administratio penes solos Pontifices erat.

49. Quae vero de rebus Sacris & Profanis oriebantur CONTENTIONES, ad Regem, ad Pontifices, & CONSILIA devolvebantur, ita ut quaedam esset Jurisdictionum COMMIXTIO. Paria habet MARCA Concordiae Lib. cit. Cap. 4. num. 3.

CAPUT IX.

Ex Legibus JUSTINIANI Imp. minime demonstratur, spectare ad Principem, Externam Ecclesiae Disciplinam NOVE ordinare.

1. Solent ab iis, qui in societatem ordinandae Externae Ecclesiae Disciplinae Laicam Potestatem vocant, objici tum Regum Francorum Capitularia, tum Leges a JUSTINIANO Imperatore de rebus Ecclesiasticis latae; quibus Legibus tum Liber primus CODICIS refertus est, tum maxime abundant NOVELLAE Constitutiones. Quamplurimi, ait Petrus DE MARCA Concord. Lib. 2. Cap. 11. num. 2. qui tantum res FORENSES attigerunt (adeoque Ecclesiasticarum, & Theologicarum sunt ignari) praedictio harum constitutionum Justiniani, potestatem liberam de Disciplina Ecclesiastica decernendi Principibus vindicant; qua in re gravissime ab iis PECCATUM ESSE, antea pronuntiat MARCA. Notatur autem ad oram paginae in hac sententia Carolus MOLINAEUS ille notissimus. De Capitularium origine & indole dicendum est Capite proximo: de JUSTINIANO videamus modo. Utar autem Interpretibus minime suspectis.

2. Illustrissimus Meldensis Episcopus BOSSUETUS Defens. Declar. Gallie. Lib. 11. Cap. 15. edit. recogn. Petro DE MARCA non injuria tribuit ingenium versatile, & in utramque partem aequae compositum; cujusmodi quidem ingenium si alicubi, apparet maxime in Opere De Concordia Sacerdotii & Imperii, fetu hominis caeteroquin doctissimi, per quem Posteris multum profecerunt. Suo hoc ingenio forte actus MARCA, de memoratis JUSTINIA-

NIANI Legibus aliqua cum inconstantia ac varietate pronuntiavit ; sed veritatem tamen non valuit obterege .

3. Dividit MARCA *Cap. 11. cit. num. 3.* Constitutiones JUSTINIANI in duo capita ; in eas scilicet quæ personas , & in eas quæ res Ecclesiasticas respiciunt . Primæ aut de Præfulum juribus , privilegiis , & officiis quoad ordinationes , judicia , & Ecclesiastica negotia feruntur , aut totius Cleri functionem , assiduum in Ecclesiis obsequium respiciunt , & Ordinandorum mores & statum , ac Monachorum & Sanctimonialium exercitationem . *Quæ omnia , ait MARCA , hausta sunt e Canonibus aut e receptis moribus , quemadmodum JUSTINIANUS ipse profitetur , qui se illa omnia SECUNDUM CANONES decernere discrete pluribus in locis scribit , ac præsertim in NOVELLIS Constitutionibus .*

4. Quod autem attinet (pergit MARCA) ad res Ecclesiasticas , de earum conservatione sollicitum se ubique præstat . *Æconomum juxta Canones Chalcædonenses constitui jubet ; administrationisque modum , reddituum augendorum , & rationum reddendarum illi præscribit ; numerum Clericorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ coercet , ne redditus exhauriantur ; multaque de emphyreusibus & impedienda bonorum alienatione constituit . Hæc omnia , quæ res ipsas respiciunt , non in consequentiam CANONUM , sed JURE SUO se decernere profitetur .*

5. Jure quidem suo ista JUSTINIANUS decreverit , sed non contra aut PRÆTER CANONES . Et quod illud attinet , de NUMERO Clericorum Constantinopolitanorum minuendo ; illud sane diligenter considerandum est , Justinianum per suas NOVELLAS , Tertiam , Sextam *Cap. 8.* , & Decimam sextam , non aliud eo de capite decrevisse (sola dempta Constantinopolitana Ecclesia majori) , nisi ut ne novi in Ecclesiis aliis sive URBIS Regiæ sive extra URBEM , Clerici ordinarentur , donec ad eum numerum ventum esset , qui fuerat vel antiqua Consuetudine , vel per Fundatores definitus , pro modo Proventuum , quos assignarunt ; quem ipsum numerum in posterum etiam retineri iussit .

6. Et hujus præterea Decreti ferendi causam præbuit æs alienum , quo Ecclesia Constantinopolitana , & Ecclesiæ aliæ , ob exuberantem Clericorum copiam opprimebantur . Vere proinde in præmio Novellæ tertiæ JUSTINIANUS affirmavit , similem rem a se alias fuisse sancitam *bene & regularum sacrarum digne .*

7. Cæterum Justinianus ipse Codici suo inseruit Legem Arcadii & Honorii Imperatorum , quæ est undecima Tituli *De Episc. & Cleric.* ; in qua generatim dictum est , *pro magnitudine , vel celebritate uniuscujusque vici , Ecclesiis*

elestis certum, JUDICIO EPISCOPI, Clericorum numerum ordinari oportere.
JUDICIO EPISCOPI, inquit id faciendum esse; & sapienter id quidem. Nam scientiâ Ecclesiasticâ, necnon usu ac experientiâ rerum Ecclesiasticarum opus est ad iudicium de hac re ferendum; ne, dum Clericorum numerum refecamus, detrimentum cultui Divino afferatur, vel subtrahatur Fidelibus pabulum Religionis, vel Cætuum Ecclesiasticorum status & Disciplina enerveretur, dum ii defunt, qui utiles, aut necessarii fungendis Ecclesiæ vel Familiæ Ecclesiasticæ muneribus essent.

8. Potius igitur Tutorem ac vindicem Canonum se **JUSTINIANUS** exhibuit, tum etiam cum illam de Clericorum illorum numero Legem tulit. Proinde, quoad Leges Justiniani ejusdem de Causis Ecclesiasticis latas, generatim visum erat Petro de Marca num. 2., *jure suo usum fuisse JUSTINIANUM, qui legibus latis NON CANONES condidit, sed conditos FOVIT & amplificavit; quia jus illud TUTIONIS Ecclesiasticæ Principibus Christianis a Deo commissæ exigit ut leges pro religione divina ferant. Hanc sibi mentem fuisse docet quoque Justinianus, ut vetustatis & CANONUM se vindicem præstaret, non NOVAS regulas in Ecclesiam invehendo, sed veteres augendo in melius.*

9. Infidiosum est, ac artificiose additum illud, quod attinet ad Canones amplificandos, vel augendos; etsi id videtur, fateor, ex **JUSTINIANO** ipso desumptum. Amplificatos autem & auctos a Justiniano Canones intelligit; quia nempe, ait num. 3. cit., *quæ generaliter a canonibus erant decreta, modo rei gerendæ & judiciorum ordine præscripto; his constitutionibus erant sigillatim comprehensa.*

10. Sed hoc clarius ætate ipsa Justiniani explicavit Joannes Scholasticus Patriarcha CPolitanus in Præfatione ad suum *Nomocanonem* pag. 604. *tomii 2. Biblioth. Jusselliane: Novelle constitutiones, ait, non solum CANONIBUS consentanea sunt, verum etiam Imperiali potestate auctoritatem (illis) tribuunt, sum adjectione legitima & Deo grata. A MARGA etiam hic JOANNI Scholastici locus, ex liberiori tamen sua interpretatione, prolatus est num. 4. Capitis annotati 11. Libri 2., ubi e vestigio sublit:*

11. *Non solum Joannes eos articulos Novellarum amplectitur qui Canonum verba xaxi wō das sequuntur, sed etiam eos qui Canonum mentem jurisdictione suppleverunt, id est, adjectionibus quibusdam legitimis & Deo gratis (legendum est, adjectione legitima & Deo grata, secundum Græcum Joannis textum), canonum sententiam interpretando quæ videbantur omissa addiderunt.*

12. *Quin etiam eas leges quæ canonibus per interpretationem aliquid adficiunt, quæque modum rei gerendæ & ordinem judiciorum præscribunt, inter ea*

ea recenset quæ vocant *συνέδρατι νόμιμα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κ' ἰσόστο* (conscientia, seu consentientia, jura Ecclesiasticis Canonibus).

13. Quæcunque vero hoc loco fuerit sententia MARCÆ aut JOANNIS Scholastici de amplificatione illa Canonum; ea certe amplificatio, *CANONUM* sententiam aliquo pacto egredi non debuit, auctore ipso MARCA in Prolegomenis ad *Concordiam*: immo neque NOVA ulla per eam amplificationem induci in Ecclesiasticam Disciplinam debuerunt: & per JUSTINIANUM nulla fermo NOVA fuisse inducta, fateri oportet MARCAM, si ex animo scripsit *Cap. 7. num. 8. hujus Libri secundi*, *VIX* ullam proferri posse constitutionem Principum, quæ de ritibus, ceremoniis, sacramentis, *CLERICI CENSURA* functione, conditionibus, & *DISCIPLINA*, lata fuerit ex mero potestatis secularis imperio.

14. Dixi, nulla ferme NOVA per JUSTINIANUM fuisse inducta, oportere fateri & MARCAM. Sciebam enim, notum Marcæ fuisse Decretum illud Justiniani in *Novella 137. Cap. 6.*, quo verba Consecrationis Eucharistiæ in Sacra Liturgia, elata voce, non autem demissa, proferri jussit; ut qui locum tenet idiotæ, *Amen* succinere posset: quod Decretum jure a MARCA improbatum est. Præterquam quod enim (ait *Cap. 6. ibid. num. 6.*) de ritu sacrificiorum decernere tentat, quæ pars discipline solis sacerdotibus competit, antiquos Ecclesiæ mores sollicitat; qui, ut reverentia mysteriis conciliaretur, preces mysticas demissa voce proferri induxerant, ut testatur *Basiliius*.

15. Ex hoc autem quod pauca FORTASSE ea sint, quæ in Ecclesiasticam Disciplinam NOVA & præter Canones JUSTINIANUS induxit; inde forte permotus est *Gauielmus BEVEREGIIUS* Anglus, ut, nullâ eorum ratione habitâ, pronuntiaret, Justinianum eundem & Imperatores veteres reliquos quoad Ecclesiasticas personas & res *NIHIL DE NOVO* constituisse, sed ea tantum, quæ ab Ecclesiasticis Synodis prius constituta fuerant, ipsos sua etiam auctoritate confirmasse:

16. Adeo ut quæcunque in *CODICE*, aut in *NOVELLIS*, de personis, causisve Ecclesiasticis asserantur, ab *ECCLESIASTICA* aliqua Potestate antea sancita fuerint, quam illuc relata; ut ex singulorum istiusmodi locorum inductione cuiusvis Canonici pariter atque Politici perito juris facile patebit.

17. Scilicet, non tantum si de Fide loquamur Christiana, sed etiam de Legibus ad Ecclesiasticam spectantibus *DISCIPLINAM*; ipsi etiam Imperatores Christiani (ait *Beveregius*) ingenue multoties professi sunt, *NIHIL SIBI JURIS* in istiusmodi sancendis Rebus tributum esse. Relege integrum *BEVEREGII* locum, quem dedi *Cap. 1. num. 247. — 249.*

18. Eodem certe sensu actus *VANESPENIUS*, non dubitavit scribere in

in Tract. Hist. Can. Par. 10. Cap. 1. §. 6. : *Leges Iustinianas, Evangelicæ aut CANONICÆ sanctioni minime contrariari; sed potius CANONUM & pristina Patrum discipline synopsis sive epitomen continere, earum diligens scrutator agnosceret.*

19. Quia vero Constitutiones eæ JUSTINIANI omnes aut fere omnes, secundum Canones erant decretæ; ideo (ait Marca cap. 11. cit.) & multo applausu exceptæ sunt, & fuerunt a posteris laudatæ; & ab ipsis etiam Pontificibus Romanis allegabantur. De hac re legas etiam Vanespennium. loc. cit.

20. Porro non est hoc loco prætermittenda conjectura Ludovici THOMASSINI *Discipl. Eccl. Part. 2. Lib. 3. cap. 46. num. 3.*, JUSTINIANUM Leges, quas de Rebus Ecclesiasticis conditurus esset, ad eos EPISCOPOS referre consuevisse, qui Constantinopolim, negotiorum causa solebant convenire frequentes, ac quoddam veluti perpetuum Patriarchale Concilium constituebant. *Probabiliter illud quoque creditur, ait Thomassinus, ad hos maxime EPISCOPOS (seu ad illud Patriarchale Concilium) retulisse IUSTINIANUM de iis Canonibus & Regulis Ecclesiasticis, quas inferebat ipsemet illis Constitutionibus, quæ ejus nomine & auspiciis in lucem exhibant: ut quas (suo in Palatio) cum Episcopis eliminasset, ac trutinatus esset, pervigiles cum iis noctes crebro traducens; prout a PROCOPIO narratum est De Bello Gotthico Lib. 3. cap. 32. & 35. pag. 539. & 549. edit. Paris. 1662. Adea & Petrum DE MARCA Concord. Lib. 4. cap. 1. num. 5.*

21. Hæc de JUSTINIANO placuit proferre ex illustrioribus Legum & Canonum Interpretibus, ut fieret manifestum, eos quidem excessisse veritatis ac religionis fines, qui (ut in principio Capitis dixit nobis MARCA) *præjudicio Constitutionum Justiniani potestatem liberam de DISCIPLINA Ecclesiastica decernendi Principibus vindicant.* Illos scilicet in hac sua sententia id fundamento fumere, quod aperte falsum sit.

22. Sed ista præterea eam etiam ob causam protulimus, ut constaret, eos quoque æquitatis Leges violasse, qui, *parum perpensio hujus Principis consilio (ut inquit idem MARCA loc. ibi cit.) eum sacra divinaque profanis miscuisse existimant.*

Illud certe JUSTINIANI Leges nonnullas, præcipue NOVELLAS Constitutiones aliquas vel percurrenti solum, compertum fiet, optimas ac præclaras in iis occurrere sententias ac præcepta sanctissima, quæ cum Patrum regulis gravitate ac sanctitate certent.

23. Sed utrum aliquando an pluries JUSTINIANUS sit fines suæ Potestatis prætergressus, nunc non quæro; nec mihi sane opus est id vel

investigare, vel definire, qui *Capite XII.*, in controversiis de Finibus Utriusque Potestatis parum profici, si ex Factis, vel LEGIBUS etiam temporum præteritorum argumentari voluerimus. Viam scilicet exemplorum ac Factorum, Legum etiam, admodum esse infidam & incertam (nisi fundamenta firmiora accesserint), ubi de Juribus quæritur alterutrius Potestatis quoad res plures, quæ in controversiam veniunt inter Sacerdotium & Imperium.

*Expenditur illa potestas, quam sibi JUSTINIANUS
Imperator tribuit, amplificandi CANONES
seu AUGENDI IN MELIUS.*

24. Unum est quod, antequam hinc discedo, præterire nolo sine animadversione: illud scilicet, quod *num. 9.* dixi; Justinianum sibi tribuere potestatem amplificandi CANONES seu AUGENDI IN MELIUS. Hanc sane potestatem sibi videtur JUSTINIANUS asserere in Rescripto ad Dacianum Metropolitam Bizacii in Africa, quod BARONIUS recitat *ad An. Chr. 541. num. XI. & seq.*

25. Affirmat equidem Imperator eo in Rescripto, semper sibi curam fuisse *servandæ vetustatis*; additque, Imperatores esse *tutores vetustatis & vindices*; & magnifica de Canonibus & Patrum regulis loquitur. Sed eo ipso tempore honorem hunc, quem Disciplinæ ac Canonibus haberet, detorquet ad Disciplinam ipsam & CANONES IN MELIUS AUGENDOS. Do Justiniani verba:

26. *Semper nostræ serenitati cura fuit SERVANDÆ VETUSTATIS, maxime disciplina, quam nunquam contempsimus, nisi & IN MELIUS AUGEREMUS: præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contigit questio, quæ Patrum constat regulis definita, immo adventu SUPERNI NUMINIS inspirata: quia constat cælitus institutum, quicquid Apostolica decrevit auctoritas*

27. *Si quid igitur Metropolitanæ Carthagini, vel Primatibus Numidiæ, vel Bizacii Conciliorum auctoritas præstitit, & inoffensa consuetudo servavit, hoc sibi quisque optet, sibi vindicet: hoc NOSTRA sperent SANCTIONE firmari. Nos TUTORES sumus VETUSTATIS & vindices. Nec deerit, etc.*

28. Hæc ex Justiniano; in quibus verbis ad illa, puto, advertisti animum, quæ sunt de Disciplina in melius augenda. Hujus vero sui studii
ac

ac propensionis ad Disciplinam in melius, ut sibi videbatur, augendam, exemplum non unum nobis JUSTINIANUS reliquit. Sed duo sunt maxime consideratione digna, utpote ad EXTERIOREM & Publicam DISCIPLINAM spectantia.

29. Unum extat in *Lege 42. §. 1. Cod. De Episcop. & Cleric.*; quod in Novellis postea inculcavit non semel. In ea igitur *Lege 42.* Justinianus eos vetuit ad Episcopatum assumi quibus liberi essent aut nepotes: cujus Decreti; quod præter & ULTRA CANONES est, duas profert causas. Earum prima defamitur ex curis, quas secum affert de liberis sollicitudo; altera, ex periculo, ne Episcopus facultates Ecclesiæ in propriam sobolem, & cognatos impendat.

30. Exemplum alterum extat in *Novella 123. cap. 13.*, quo decretum est, ordinari non debere Subdiaconum minorem viginti quinque annis; quando Canones in eo non amplius postulabant quam annos viginti.

31. Videamus tamen quodnam LEO SAPIENS Imperator suis in Novellis de duobus hisce JUSTINIANI Decretis iudicium tulerit. Quoad primum de verita Episcopi ordinatione cui vel nati sint vel nepotes; tamen abfuit ut per id LEONI Imperatori visus sit Justinianus Canones IN MELIUS AUXISSE; ut potius violasse putaverit; quo eodem in loco LEO SAPIENS & causam simul redarguit, qua motus JUSTINIANUS Legem illam tulit; & Legem præterea in audaciæ penam abrogat. Audiamus LEONEM in sua Novella Constitutione secunda:

32. *Cum sacrosancti divinique Canones, & quicumque alii de Sacerdotio ac Episcoporum creatione statuere, IN OPTIMUM numerisque omnibus plenum editi sint modum; mirari subit, quomodo non veriti nonnulli sint, sacras divinasque Leges, TANQUAM ILLÆ ABSOLUTÆ NON ESSENT, promulgatis aliis Legibus ABROGARE.* Vide, ex Leonis Sapientis Imperatoris sententia quid illi tandem agant, qui proponunt sibi AUGERE CANONES IN MELIUS.

33. Pergit Leo, referens memoratum JUSTINIANI Decretum. *Quod ideo (subdit) fortasse in animum induxerunt, quod istiusmodi affectione quadam erga liberos sacras facultates (Episcopus ille) oblesurus videatur. VERUM non recte sese illa ratio habet. Sic namque ne fratribus aliisque cognatis superstitibus accessum quisquam ad Episcopatum haberet: siquidem & ad hos sanguinis propinquitatisque affectio respicit.*

34. Tandem decernit, ut a *Lege, que contradicere ausa fuit (Canonum sententiæ ac Patrum iudicio) IN AUDACIÆ POENAM perpetuum in futurum exigatur silentium.*

35. Nunc LEONEM Sapientem Imperatorem audiamus, alterum. JUSTINIANI Legem de Ordinatione Subdiaconorum emendantem in sua Constitutione 75. *Sacra decreta in suis rebus, civilibus Legibus prævalent. Sexta Synodus vicenarium Hypodiaconum ordinari posse sancit: huic vero civilis Lex contradicens, viginti annis quinque admetiri jubet.*

36. Nos itaque, uti SACRAM LEGEM sacer ordo sequatur, convenire rati, ut ad Hypodiaconatum, qui quidem eo diu sunt, anno ætatis suæ vigesimo admittantur, sancimus.

37. Sed hac ipsa de re Legem ediderat jam LEO in Novella Constitutione 16., usus contra JUSTINIANUM ea ratione, quam ipsum Naturæ testimonium dicit; edicens, nempe, hujusmodi res secundum CANONES esse ordinandas, quia in sua cuique arte & professione plus haberi debet fidei: *Vetus verbum, ait, quod DE REBUS SUIS dicenti, aures esse aperientas monet Dignum itaque SACRAM LEGEM DE REBUS SUIS præcipientem audire Imperatoria nostra Majestas rata, & in eandem cum illa sententiam descendit, & statuit; etc.*

38. Video cuncta hoc loco Imperatoria Majestate ac Sapientia digna; video TUTOREM VETUSTATIS AC VINDICEM; video CURAM SERVANDÆ VETUSTATIS: video tandem Principem sibi caventem ab insidioso illo ac fallaci studio Disciplinam ac Canones IN MELIUS AUGENDI.

39. Ista addere visum est pro interpretatione sententiæ illius JUSTINIANI in Rescripto ad Bizacenum Metropolitanam; quæ cæteroqui satis est tum anceps, tum ambigua.

40. Regulæ vero universalis loco hic fit sententiæ NATALIS ALEXANDRI, Viri candidi & ingenui, ac folius Catholicæ Veritatis amici, in Histor. Ecclesiast. Sæculi Sexti Cap. 7. Art. 2. *Si quas novas Leges tulit de Ecclesiastica DISCIPLINA IUSTINIANUS, vim illæ non habuerunt ullam, nisi quia sunt ab Ecclesia receptæ & approbatæ. Sicut enim Leges de Rebus MERE CIVILIBUS in Conciliis promulgatæ, nullius sunt roboris, nisi quia ratæ habentur a Principibus Laicis: ita nec Leges DE REBUS ECCLESIASTICIS a secularibus Principibus conditæ ullius sunt momenti, nisi ab ECCLESIA ratæ habeantur. Cui sententiæ nemo qui sapiat, non libentissime subscribet.*